



**Paraenesis De Eleemosyna**

**Alardus <Aemstelredamus>**

**[Köln], 1545**

**VD16 A 1250**

Neminem cogendum ad eleemosynas. Nec quasi ex tristitia & necessitate,  
sed ex animo tribuendum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63012](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63012)

## DE E L E E M O S Y N A.

Neminem cogendum ad eleemosynas. Nec quasi ex tristitia & necessitate, sed ex animo tribuendum.

**N**ON secundum imperium loquor, sed per sollicitudinem erga alios, etiam uestræ dilectionis sinceritatem approbans 2. Corinth 9. Semper enim pauperes habebitis uobiscum, & cum uolueritis potestis benefacere illis, me non semper habetis, Marci decimoquarto . Hieronymus Comment. libro 16. in Esaiam cap. 58. Itaque si non fecerimus ista quæ dicta sunt, & fecerimus ea quæ dicenda sunt, ut esurienti, non sicut supra, demus panem nostrum, sed aliam nostram, ut eum in quibuscumque possumus adiuuemus, & non quasi ex tristitia & necessitate, sed ex animo tribuamus, accipientes magis quod dantes beneficium. Hilarem enim datorem diligit dominus, ut animam esurientem siue afflictam non reficilemus ex parte, sed saturemus & dolcamus cum dolentibus, lugeamusque cum lugentibus. Tunc oritur in tenebris lux nostra, ille qui dicit: Ego lux ueni in hunc mundum, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat, sed habeat lucem uitæ. Lucerna enim corporis nři, est oculus. Si simplex fuerit, totum corpus nostrum erit lucidum. Si autem qui lux esse deberet, uersus fuerit in tenebras, tunc omne corpus tenebrosum erit, & dicetur nobis. Si lux quæ in te est tenebrae sunt, ipse tenebrae quantæ sunt? Consideremus quantis uirtutibus perueniamus ad lucem dei, ut tenebrae nostræ uertantur in meridiem, dicamusque cum sposa: Vbi pascis, ubi cubas, in meridiem?